51
47 32

JOH. GOTTL. BOTTICHER
U. Medicin. Doctor. Hafnien.

# DISSERTATIO EPISTOLICA PHYSIOLOGICO-MEDICA,

De vera fluidisſimi nervei ſeu ſucci nervoſi exiſtentia

*ejusque genuino uſu,*

Nervorum cavitate & Mercurialium effectu in Machina humana.

BEROLINI, MDCCXXI.

# Epiſtola Phyſiologico - Medica data
Ad
## Domin. J. Adam. Hoffſtätern, S. R. M. Dan & Norweg. Juſtitiæ Conſiliar. Archiatr. & Academiæ Hafnienſis Medicinæ Profeſſor P.

Anno M. DCC. XIII. in Menſe Octobr. d. 28.

### Vir Præ - Nobiliſſime, Conſultiſſime & Clariſſime!

Amice honoratiſſime!

Mihi literis jam hiſce Tibi obſtrepenti ut ignoſcas eſt quod etiam atque etiam rogito. Cum enim præteritæ hebdomadis die Mercurii Te viſitandi occaſio mihi opportuna ſe offerret, eoque tempore ad Medicinæ campum diſcurſibus uberrimum Tuis acceptiſſimis invitarer, ac multis paraſangis tandem ad Spirituum animalium ſeu fludiſſimi nervei (de cujus energeia & motu Hyppocr. & Galleno jam conſtitit, primus impetum faciens, ſecundus ſpiritum ap-

pellavit) Doctrinam, an nimirum ejusmodi ſpiritus, ſeu fluidum Nerveum, coëxiſterent in machina noſtra animali, (2) Utrum eorum ope actiones per Syſtema nervoſum perficerentur animales? (3) An nervi eſſent cavidevolveremur, Tibi, contrariam tuenti partem, quamvis ſatis evidentia, & probantia argumenta opponerem, eamque iſtis diruere anniterer, fruſtraneo auſu præter omnem opinionem tamen operam impendiſſe meam ſum expertus: Quocirca, ut opiniones rejiceremus præconceptas, à quibus enim nos veritatis tramite facillimo averti poſſe negotio nemini non conſtabit, quæque cognitioni accuratiori Oeconomiæ animali deeſſe viderentur, ſeu in veritatis abyſſo adhuc occulta laterent, inveſtigatione hauriemus indefeſſâ, argumenta plura, in arena pronaſcentia mea, brevisſſimis in faſciculum colligere, ac literis hiſce Tibi aperire decrevi. Tantum autem abeſt, ut Tibi, Vir Cl. litem moverem, vel tecum contentionis funem traherem, quin potius in Caſtra ſcientiarum Tua: Medicar. amicabiliter me deſcenſurum, & ab iis incrementum meis Principiis, à ſanis & noviſſimis parum vel planè non aberrantibus, comparaturum confidas. Et quamvis ſecundum Doctiſſim. Baglivum, (qui multis tamen aliis in locis de hac materia fusè diſſerens ſibi haud tectè contradicit) aliosque plures, vis & energeia motuum haud omnino dependeat à fluido, nimirum ſpirituoſo, ſed potius à valido ſolidorum elatere, vique iis innata; quamvis porro nervorum divaricatio varia ſolidis cumprimis undique Muſculoſis partibus interſita, ad impediendum auræ, ſubtiliſſimæ nerveæ momentaneum liberumque tranſitum à nonnullis opponatur. Quamvis ſint, qui nervis nullam poroſitatem, nullamque cavitatem concedere velint: ſuadent tamen argumenta, & à priori & à poſteriori, omnibus & ſingulis Præjudiciis immunibus obvia dilucidaque deſumpta, omnia nimirum corpora cujuscunque ſint texturæ, figuræ, magnitudinis & ponderis, non à ſei, ſis, ſed ab aliis, moveri; lex eſt hæc naturæ, non à vanae imaginationis cimeriis, non ex nudis ſpeculationibus, ſed ex inconcuſſa, ad mundi interitum perdutatura veritate pronata. Quod ſi jam hoc omnimodae & ſempiternae ve-

rita-

ritati conſonum eſſe, neminem non latebit corpora quoque animal: omnia merè paſſivè ſe habere, nullam à ſeipſis edere ullam functionem, quilibet concedat oportet, ea propter aliquod movens activum fluidum, quod organa corporea principaliter actuare, atque ad obeunda munia determinare poſſit, requiratur neceſſe eſt: hinc in laeſi organi culpa ſecundum multorum ſententias ſolummodo defectus motus conſiſtere certe nequit, repentina enim mors à nimio gaudio, metu, ira & terrore, illaesô organo ſolidô, hypotheſin claram procul dubio & liquidam noſtram reddet, movens ergo laeſium, quod aut nimis ſuppreſſum, aut nimis axaltatum fluidum adeſſe expedit. In mentis poteſtate minimè ſitum eſſe, ut omnes dirigat actiones, planè arbitror, quippe cum multae dentur, quae purae authomaticae ſaltem dici merentur, ſic reſpirationem, lymphae ſecretionem, bilis, fluidiſſimi nervei ſucci pancreatici ſalivaeque percolationem & ſeparationem, ſic appetitum fluidorum & ſolidorum, ſic lymphae & ſanguinis circulationem, actiones inter puras authomaticas recenſendas eſſe, quem quaeſo fugit? Et certe ſi διανοίᾳ ſeu menti abſolutum Dominium in corpus eſſet conceſſum, ſeu ſi διάνοια omnes machinae animalis functiones ſola dirigat, nos nunquam debiliores evaderemus, nunquam aegrotaremus, omnesque corporis functiones & actiones ſemper integrae, ac ſine labe ulla ſanae exiſterent, quandoquidem extra omnem dubitationis aleam, mentem corpori ſuo integritatem vitae, intimè conjunctô, ſemper vovere & quaerere, poſitum eſſe totus confido. Quemadmodum jam mens nunquam deficere poteſt, quoniam Ens merum cogitans & volens à mente Perfectisſima Deo ſubortum, & quaſi Radius minimus a vaſto toto corpore ſolari egreſſus, definiri poteſt, corpus tamen in dies, præſertim cum ad ætatem vergat provectiorem, debilius evadit, ſæpiusque morbis affligitur calamitoſis, ſequitur ejus functiones omnes ab ipſa mente abſolute haud dependere, poſita enim cauſa ſufficiente & valente, non poteſt deficere effectus, ſint ergo neceſſe eſt, præter mentem alia corpora iſta ignobiliora, quæ deſtructibilia merito dici poſſunt, quibus organa duntaxat actuari, &



tubu-

tubuloſæ muſculorum compages inflari ad motum poſſent; ſiquidem muſculoſis partibus nulla ſe movendi facultas, proprie ab illis pronata, inhæret, ſed tantum tam a ſanguine inte fluente quam ab aura aliqua ſumme mobili illis accedit. Et iſta corpora ſunt fluidisſimum nerveum ſeu ſpiritus animales, qui ex ſanguinis arterioſi ſubtilisſimis portionibus, partibusque aereo-æthereis impregnatis conſiſtunt. Utrumque probatur affabre. 1) quia latex purpureus originem fluidisſimi nervei, id eſt ſubſtantiam cerebri glanduloſam ſeu corticalem irrigat, inundando permeat, reſiduusque refluit. 2) Ligatis arteriis carotidibus fluidisſimi nervei productionem vel potius ſecretionem inhiberi e veſtigio videmus certisſimo indicio, ſanguinem eſſe ejus fontem, 3) quia, alimenta fluidisſimi nervei reparationi litant, imprimis ἐυπεπτα hinc ab inedia vel laboribus delaſſati melius ab ἐυπεπτοις quam ab omni analepticorum apparatu reficiuntur. 4) Rem evidentiorem ad reddendam ligaturæ & relaxationes nervorum diaphragmatis ſymbolam conferunt non exiguam, ligatis enim iſtis, e momento motus omnis reſpiratorius tollitur, relaxatis autem e contrario motus quantocyus reſuſcitatus viſus erit, evidentisſimo argumento perfluidum indifferenter ſumme mobile (per quod ſpiritus animales intelligi veſim) motus animales & vitales perfici & prorogari. Placidiſſimum autem eſſe ejus motum in naturali nempe ſtatu inſyſtemate nervoſo ac moderatisſima villorum tenſione peragi huc meminiſſe juvabit. 5) Et cum nervi undiquaque laxe per totum diſſeminati ſunt corpus, quomodo quæſo eorum expanſio, eorum contremiſcentia placida, in inſtanti nictu oculi citius imo in momento & juxta mentis imperium & objecta corpus noſtrum afficientia fieri poſſet, niſi admittas in illis corpus fluidisſimum velocisſimumque, nec non æquali preſſurâ dotatum? videmus ne aerem atmoſphæricum in minimis ſaltem punctis certo vibratum modo, motum iſtum impreſſum in inſtanti ad partes ſibi conjunctas lateque diſtantes propagare, ſonumque producere poſſe? quidni fieret in vaſis perfluida preſſura placida velocique motu inſtructa, a ſenſorio communi protractis, ſubortis, & apicibus extremitatum partium contiguis, 6)

ſen-

ſenſus punctorius & formicationis poſt partium aliquam compreſſionem redintegratum motum, ſeu fluida antea in partibus ſolidis, tam in motu quam vi expanſiva elaſtica impedita, jam autem in integrum reſtituta, de novo vim ſuam elaſticam exercere indicat. Poſterius ad probandum: ſic Principium noſtrum vitale, omni momento nos ex Aere haurire nemini non conſtabit, cujus enim æreo-æthereæ partes elaſticæ ſcilicet, cum ſanguinis portione ſubtilisſima ſociatæ fluidisſimum nerveum ſeu Spir. anim. vel vires conſtituunt id quod vel exinde clare pateſcit, quoniam ad vitæ conſervationem motus fluidorum præ aliis requiritur, hic autem non niſi ab æthere derivandus, cui ſe ſe movendi vis ineſt abſoluta, eam ſibi ſervat, ac aliis interfluentibus concedit: diluceſcit quoque exinde, cum ab aeris diverſa indole, diverſa quoque hominum vivacitas obſervetur, ejusque ſanitas ſatius & citius promoveatur vel impediatur. Sanguinem quidem ad motus vitales præſtandos continuo concurrere, impetum autem & vim movendi a cerebro & genere nervoſo peti debere nullus dubito: prius evidenter patebit, ſi ope Syphonis in animalis quocunque mortis genere extincti arteriam injiciatur aqua tepida tunc muſculi illius partis recipientes ramos arteriæ antea rigidi, moveri & agitari incipient, ad oculum etiam, membra quibus aſſociati diſtendent. Tametſi porro vis ſolidorum innata parabolice a Ruſticis aliisque graves labores ſuſtinentibus, cibis autem crudis & lentis veſcentibus, membris attamen præ aliis Epulis & lautioribus eſculentis quotidie utentibus, ad pondera elevanda dislocanda, laboresque gravisſimos perficiendos, robuſtioribus gaudentibus demonſtrando à Celeberrimo Baglivo, opponatur, ſeu, ut paucis multa dicantur, tametſi, inquam, ſecundum ejus mentem, ſolidorum vis innata & energia plus ad partes movendas valeat, quam fluidorum velox & rapidus motus. Suadet tamen è contrario motus certus tremulus compagis ſolidarum partium fibroſa modò ſenſum caloris, frigoris, modo titillationis, vellicationis, doloris, inducens, illum ſine fluidis ſolidorum confinia irrigantibus, pertranſeuntibus & expandentibus, excitari & perſentiri haut poſſe.

Sua-

Suadet quoque contrarium motus tonicus partium tum internarum tum externarum, isque vel ſanus vel peſſundatus, nulla licet evidens ſolidis labes affricta: Vires autem exhauſtæ ſi ſint, vel fluida in motu & mixtione turbata, ſtatim motum tonicum ſubire mutationem deteriorem, & in tota œconomia animali calamitoſam cieri turbam luculenter apparet. Fibras motrices ab una Origine, cerebro & meningibus ſcilicet progenitas, unam ideoque conſpirationem connexionemque univerſum per corpus obtinentes αὐτονίαν & mobilitatem ſolummodo posſidere ab actu motis fluidis, utpote jugiter & harmonice liquore nerveo & interfluente ſanguine, per ſuaſisſimus firmiter ſtatuo. Unius poſitio attamen non eſt alterius exclūſio. Solidorum vis innata omnino valet ad fluida in motum cienda, & in eo cœteris paribus conſervanda, fluida autem valent ſolida ad vivificanda, & in motum actualiter deducenda. Quando enim fibræ motrices nativo tenore ſeu εὐτονίᾳ pollent, fluida omnino in circuitum melius impelli poſſunt, quod ſi autem iſtæ fluidorum vigore & motu ſufficienti ſint privatæ, debitum in corpore effectum edere haud valent, ſed potius inſtar corporum Sphacelo fere corruptorum ſe habere incipiunt. Ad veritatem ulteriorem detegendam, me conferens illam quantum negotia conceſſura mea, ut a radicibus ſatis ſubtiter limem, & tricis perplexis ex ſolvam, impræſentiarum porro proferam, quod ſcilicet, quemadmodum in glandulis ſubſtantiæ, cerebri corticalis exilisſimis, ac ſenſus fere ſubterfugientibus, quippe cum iſtæ glandulæ ſecundum perſpicacisſimorum Anatomicorum indefeſſam perſcrutationem, nonniſi quædam arteriarum extremitatum contortuplicatio ſeu congeries ſit, ſeu ſi Archibaldo Pitcarnio Eruditisſimo Phyſiologo fides adhibenda, glandulam illam ſecretionibus inſervientem, pro parte canalis, qui Venam arteriamque efformat, haberi, & iſtam ſaltem in curvatura arterioſa conſiſtere ſtatuendum erit, eaque non ſolum exteriorem cerebri ambitum & corticem incingat & complectatur, ſed etiam interiora penetret, atque tandem ſic arteriolarum propagines ſuccoſæ in fibrillas tenuisſimas candicantes & depreſſe rotundas abeant,

ſicque

ſicque iſtæ fibrillæ, flexu ultrò citròque ita implicatæ albicantes, albam ſive medullarem cerebri ſubſtantiam, ſecundum Clariſſimi Bergeri, multorumque aliorum Phyſiolog: denique componant, ſeparatimque porrò exeuntes & ſuis quæque vaginulis incluſæ atque in funiculos congeſtæ, ſub nervorum nomine, in omnes omninò corporis partes propagentur; Spiritus animales, inquam lege motus naturæ a Promo condo Sanguine, utpotè vitæ theſauro ſecernantur, ſic quoque per jam recenſitam ſubſtantiam medullarem nervoſam, nutu mentis ad corporis amandantur partes, ſeu ad inſtar auræ, leni æquabili undulatione per genus nervoſum & per cunctas fibroſas ſeu tubuloſas deferuntur partes, hinc à voluntate, vel appetitu, vel objectis externis concitabiles, vel impetu veloci ad ataxiam mobiles ſunt. Ex quibus meridianâ luce clarius, quod ſpiritus animales ſeu corpora fluidiſſima & indifferenter mobilia (quæ autem non animæ ſenſitivæ nomine, uti Vir Ampliſſimus ſtatuere ſatagit, venire poſſunt) omnibus inſerviant actionibus animalibus, dum non tantum, uti ſæpius innui, ad omnes corporis partes per nervos extenſos amandantur, verùm ſingulis momentis quoque alii atque alii influunt, vel ex impulſu Mechanico, vel mentis arbitrio moventur & diſpenſantur, quapropter, ſi in fluidiſſimi nervei ſeu Spirituum animalium motu, quidquid alii inſciti Medici, aliter ſentientes ſine fundamento perhibent, omnium actionum formalitatem conſiſtere dicerem, me à veritatis meta parum vel planè non deflexiſſe arbitrarer. Quò anteà commemorata adhuc evidentiorem fœnerentur lucem, mentem noſtram non ſolum ſentire poſſe, ſed quæ ſentit beneficio Authomatis, cui intimè eſt conjuncta, percipere, meminiſſe jurabit; quæcunque enim percipit, per ſenſus haurit, nullam ſiquidem cognitionem rerum habere poſſumus niſi per ideas, quas de his vel illis per ſenſus percipimus, ſenſus autem nihil aliud ſunt quàm corporum extra nos poſitorum perceptiones, quo modo ab ejusmodi materialibus mens afficeretur, hinc quoque ad rerum infallibilem veritatem detegendam nobis non ſunt dati, ſed ſaltem ad proportionem corporum nobis obviorum ad corpus noſtrum exponendam. Equidem, quod imaginandi & ſentiendi facultates

ad mentem pertineant, nemo non concedet, quod autem iſtæ eam pertinere haud queant, niſi quatenus illa juncta ſit corpori, nemo inficias quoque ibit. Mens, ut ita loquar, eſt nullibi, corpus verò in loco, quî illud quod neceſſariò adeſt, poteſt efficere, quod nullibi? ergo eâ lege à ſapientiſſimo Conditore ſunt unita, ut ad certos corporis motus, certæ in mente ſequantur cogitationes, & ad certas, mentis cogitationes certi in corpore excitentur motus, ille itaque motus & per fluidiſſima continua, & per corpora ſolida contigua ad mentis metropolium deferatur oportet: nulla autem habemus alia contigua, ad cerebrum ſeſe usque extendentia, quàm nervos, venas & arterias, poſteriores non ſunt, nec eſſe poſſunt, illis enim abſciſſis & deligatis adhuc ſentimus, hinc per nervos, quorum filamenta cerebro ſunt contigua, & originem ei debent ſuam, mediante fluidiſſimô nerveô & ad mentem, ab eaque porro ad corporis partes propagantur & deferuntur motus. Nervos itentidem corpora omnino eſſe excavata, ſeu poris undiquaque pertuſa, & eorum textura ad oculum probat, & proinde ex eo liquet, quòd ligatura conſtricti aliquantulum intumeſcant, hoc autem fiat neceſſe eſt, & ratione humidi quô nutriuntur, & ratione auræ ſubtiliſſimæ, quâ expanduntur. Quodcunque jam patitur ſeu admittit intumeſcentiam, illud poroſum quoque eſſe, nemo, niſi ſui impos, contradicet, nervi intumeſcunt (magis tamen intrinſecè quàm extrinſece) ergo totos poroſos eſſe dici merentur: quod autem hæc intumeſcentia non adeò incurrat craſſos noſtros ſenſus, nullam implicare negotionem valet; à ſenſuum enim negatione ad rei ipſus negationem nullam firmam procedere conſequentiam, cuilibet conſtabit. Et ſi ſuccus ſatis craſſus fructibus & floribus alimentum ſuppeditans per anfractuoſos, imo occultos meatus ex imis radicibus ad ſumma arborum culmina aſcendere valet, quid, quæſo, obſtat, quò minus ſuccus quidam fluidiſſimus, imo & rapidiſſimus, per cerebri & nervorum filamenta diſtribui & propagari poſſit. Tandem, ſicuti ex quotidiana experientia, rebus ſuper incude cudendo & recudendo aciem aliquam, ſuper cote & lapide lydio autem perpoliendo & exagitando ſplendorem & aciem ſimul acceſſiri erudimur; ſic quoque ulterioris confirmationis & probationis

ergò,

ergò, ad lapidem lydium revocando, brevitati ſtudens adjungam; quæ à poſteriori dicenda reſtabunt. Clara & perſpicua reddentur: (1. Ex nervi optici obſtructione, quando nimirum ex illa morbus pro pullulavit, qui Gutta ſerena dici ſuevit, quo morbo certè nulla idea de his vel illis ſubjectis ad Conarion deferri poteſt commune, hinc quoque iſto affecti homines, ſplendentibus oculis & apertis, cœci dicuntur. Nervos eſſe corpora excavata, ſeu poris undiquaque dotata, in iisque contineri corpora fluidiſſima pateſcit Cz. ex eo, quod nervi, quando quâdam vellicantur vel crispantur acredine, aut lympha ſociata, aut eâ exſolutâ, aut ſanguini adhuc permiſta, potiſſimum acida iis ſemper infenſiſſima, iſti ad principia trahantur, iterumque remittantur, unde hoc? niſi quod poris eſſent pertuſi & fluidiſſimo inflati corpore largiaris, alioquin nondum momentanea iſta vellicatione acredinis ad Principia retrahi poſſent, multoque minus iſtemotus momentaneo quaſi ictu ad mentem deduceretur. 3) Ligatô hoc vel illô nervo, ſeu obſtructo à mucoſa glutinoſa & lenta ramoſa materia, tametſi muſculorum compages fibroſa eô tempore ab humoribus aliis earum interſtitiis ſtabulantibus, tremat, è momento nihilominus motus ceſſabit partis, certiſſimo indicio, mediantibus nervis, eosque trajicientibus Spiritibus moveri partes animalibus; quodque reconvaleſcentes, ſuis adhuc tremulantibus membris, cum ex defectu virium morbo attritarum, & nervi & muſculi inconſtanter expanduntur & inflantur, imo & agilitate proin deſtituuntur, ſatis ſuperque commonſtrant. 4) Quod porro Nervorum filamentorumque beneficio atque in in iis contento & præſenti nerveo fluidiſſimo moveantur partes corporis, meridiana luce clarius reddunt Paralytici, & atrophiâ certarum partium affecti: principiis enim nervorum à lentis pituitoſis, aliisque craſſis perplicabilibus particulis obſtructis, vel ab iſtis ſaltem compreſſis, membra è veſtigio, à fulmine quaſi tacta, motu privantur ſuo, imo flacceſcere & marceſcere incipiunt, unde hoc, quæſo? niſi motus Spirituum animal: tum ad lineam rectam, quam ad motum tendens rotatorium, ſuccumque ad fibrarum latera premens nutritium abeſſet, ac niſi accedat 2) impedita eo loco arte-

riarum à ſanguine, ob fluidisſimi nervei defectum, lateralis preſſio, ab eaque dependens eructatio tam ſucci nutritii alibilis, quam fluidi muſculorum tubulos diſtendentis. Et tabe decumbentes ſcorbutica, quid quæſo aliud indicant, quam ſanguinem eorum discraſſiâ modò ſalsâ modò acida, infectum eſſe, ex eaque cauſa moleſtam laſſitudinem membrorum ſemper perſentire debere, hinc quamprimùm nonnullorum ſanguis ſua acredine, (non autem nimiâ preſſione ſeu Plethora, uti multi inſcitè ſomniant) aliquantulum liberatus, ita ut chylus ab affluentibus fluidis meliùs, uti anteà, ſit temperatus & dulcificatus, ad laticem purpureum, tanquam Promum Condum ſic perveniendo, cumque eò intimius ſe aſſociando, ſuis tandem partibus gelatinoſis & nutritiis acrimoniam involvendo, temperando, ac denique ſuperando hoc efficit, ut motu intenſiori arteriarum ſyſtolico & diaſtolico per earum glandulas, plus ſolito dilalatas, inter fibrillarum interſtitia in majori copia alibiles gelatinoſæ nutritiæ partes deponantur Spirituum anim: motu naturali directo quam rotatorio fibrillarum extremitatibus adigantur atque hoc modo tabeſcentiam ſæpe numerò cum obeſitate repente tum mutent. Unde Phthiſis ſic dicta nervoſa, nonne a tono relaxato & languido in habitu corporis fibrarum motricium? unde tonus fibrarum autem languidus & depravatus exiſtit? nonne a defectu ſufficientis vivacitatis fluidiſſimi nervei & laticis purpurpurei debitæ irrigationis, & debiti impulſus? Et quomodo Vir Clariſſ. imperfectæ paralyſis Phœnomena, ubi quando ſalvo ſenſu perit motus, & ſalvô motu defecit ſenſus, explicare velis niſi à certa nervorum oppilatione & preſſione, certoque fluidiſſimi nervei motu rationem deduceres? quomodò membrorum amputatorum ſeu detruncatorum ab iis prodeuntium Phœnomenorum, reſpectu idearum in cerebro impreſſarum recordationis, nodum ſolvere valeres gordium, niſi nervorum plenariam cavitatem, & fluidiſſimi nervei exiſtentiam agnoſceres? quomodo ſomnambulatorum miras geſticulationes explicatu dignas, claras & perſpicuas reddere poſſis? niſi fluidiſſimi nervei exiſtentiam & ejus certum motum à mente determinatum in certas ſpecificas corporis partes, ad exe-

quen-

quendas nimirùm eas actiones, quæ à certis ideis menti tanquam præſentibus curſu certo fluidiſſimi nervei propoſitis provênere, vocares in adjumentum; iſta veſtigia impreſſa, aut a ſeipſis ſe ſiſtant ſine ullo interfluente fluido menti, aut non; à ſeipſis illi ſiſtere ſe haud poſſunt, Ergo; & undenam animalium truncata membra aliquandiu moventur? certè à nullis aliis corporibus, quam à relicto fluidiſſimo nerveo, & impreſſo elatere fibrillarum motricium: quomodo vires corporis definire velis, niſi eſſe eas fluidiſſimum nerveum confitearis? hinc in omnibus morbis malignis vires proſtratas pro ſigno tanquam pathognomico habendas eſſe vero, quis eſt qui inficias ibit? & quid aliud indigitant, quam fluidiſſimi nervei ſuppreſſam elaſticitatem, ſolidorum a deterrima Spaſtica ſtrictura enatum ſtatum depravatum, & ſanguinis motum turbatum inteſtinum, Et cur ætate provectiorum fermentum ventriculi fatuum, blandis ſpirituoſis ſilicet ambratis, quibus ſucco-nerveo injicitur ſtimulus, ita exſuſcitari poſſit, ut integer iterum redeat eduliorum appetitus? Et nonne vera Spirituum animalium coëxiſtentia in nervis evidens & dilucida ex opiatorum uſu & effectu luculenter apparet? quamprimum enim eorum tantilla quantitas modò ſit adhibita, ſulphur volatile blandum, nervorum filamenta ingreſſum, in cincinnos reſiliendo quaſi, mox cöarctat, & fluidiſſimi nervei inordinatum motum eô ipſo cohibet, hinc ſomnus, ſubindeque ſudor, prodeunt, mox ſpirituum animalium nimiam elaſticitatem demulcet, hinc doloris remiſſio ſubſequa, mox fluida incraſſeſcit, hinc ſanguinis ex iſtis motus progreſſivus lentior, ex eo pulſus tardior & ſuppreſſior & vaſa ſanguinea inflata quandoque, turgent, hinc cachecticis quoque opiata ſummè ſunt noxia habenda, & febribus detentis, ab iisque debilitatis & ex hauſtis minimè ſuadenda veniunt; & nonne apoplexiâ, paralyſi, memoriâ læſa, vertigine, ſtupore membrorum correptis ſemper præſentiſſimum inferunt damnum funeſtum? Quomodo, Vir Clariſſ. morbi Catalepſis, herculei Epilepſiæ, imo Spasmi Tetani, Emproſtotoni aliorumque motuum convulſivorum horrendorum cauſas expiſcari ac manifeſtas reddere velis, niſi 1) Nimis intenſum elaterem fibrarum motricium ſ. ner-



vo-

vorum & membranarum. 2) Æquilibrum inter ſolida & ſolida, & inter fluida & ſolida, tam quoad motum quam quoad proportionem aliquomodo ſublatum, & præ omnibus 3) Sanguinis ergasmum & fluidiſſimi nervei ataxiam a certo fomite expartibus ſcilicet vellicantibus acribus, conſtantem, excitatum, accuſes. Atrociſſimorum morborum lypothemiæ, Paſſionis hyſtericæ, mali hypochondriaci enormium & calamitoſorum ſymptomatum cauſas, nullô claras & perſpicuas reddere valebis modô, niſi cum pluribus aliis, fluidisſimi nervei inordinatum motum, Schemata tot variantium, in viſcerum latifundiis, aliisque partibus eorporis, præcipuè membranoſis Spasmodicarum contractionum, crispaturarumque ſæpenumerò pertinacisſimarum excitantem, & a Machinæ fluidorum, præſertim ſanguinis, corporibus præternaturalibus provenientem, cauſam tanquam evidentisſimam quoque agnoſcas. Nec ſicco pede Maniacorum aliorumque delirantium perverſas actiones prætereundas eſſe cenſeo, quippe cum clarè & diſtinctè Spirituum animalium motum inordinatum, Sanguinis orgasmum ac ejusdem diatheſin, & duræ piæque Matris elaterem nimis intenſum indigitent & teſtentur. Quomodo, Vir Clarisſime, animæ pasſiones explicare valebis, niſi iſtas eſſe mentis commotiones, vel à certo Spirituum motu excitatas, vel ab ipſa mentis cogitatione de rebus præteritis gratis vel ingratis, vel ab objectis præſentibus ortas eſſe, largiaris? Et quomodo veſtigia, cerebri filamentis imprimi, eaque relegi, menti ad judicandum proponi poſſint, niſi hoc fieret a corpore fluidisſimo indifferenter mobili, & in confiniis cerebri & mentis metropolio ſemper præſente? ſolidorum ſolâ diſpoſitione & figuratione certa, hæc ut in actum deducantur planè imposſibile eſt. Et nonne exvitioſa matris imaginatione quæ variè utcunq; ſuccreſcit nunc, ab externis, motum vehementiorem, plerumque excitantibus, nunc ab internis, recordatione eorum pertinaci, quæ aliquandò aſpeximus, fluidiſſimũ, nerveum adeò impetuoſe exagitatur ut ob partium de hinc teneritudinem generationis negotiũ facillime confundatur & fœtus monſtroſus vel maſſa omnino deformis procudantur? Plura de hac materia probantia adjicere potuiſſem, niſi temporis penuria & negotia obſtitiſſent

mea.

meâ. Demum quæ Vir Clariſſ. de ☿ dulc. ſtatuit, quod iſte nimirum ſuâ ſubſtantiâ ob gravitatem, quâ pollet, ad ſanguinem haud perveniat, me, aliosque Medicos non in levem trahit admirationem, quando quidem contrarius ejus effectus à priori eſt in aperto & à poſteriori toto illuceſcit die, imo in Medicina hoſpiti Empirico noſtro famigeratiſſimo & aſſeclis ſuis, Lippis ſcilicet & Tonſoribus notus jam eſſe videtur. Quamdiu enim machinam animalem totam eſſe perſpirabilem mechanica ejus ſtructura docet, & Mercurii cohæſionem talem eſſe experimur, tamdiu, præſertim cum pori corporis non adamantini, ſed ſequaces ſunt, Mercurium iſtum ſalibus combinatum cum ſuo determinato æthere, qui ejus partes ſine requie commovet, ſanguini omnino ſuam affricare indolem neminem non conceſſurum confido. Et quamvis ſalium ſpicula a Mercurii partibus obtuſa facta, ejusque annulis quaſi recondita eſſe largiar, ea tamen cum ejus partibus lubricis, levibus & mollibus ita coadunita mihi perſuadeo, ut quamprimum fotui partium adjacentium ventriculi, ejus calori, continuæque conquaſſationi, motui diaphragmatis, fluidisſimi nervei vigori, nervoſam ventriculi, & totius fiſtulæ inteſtinalis ſubſtantiam irradianti, quo ſine dubio partes in motum magis adiguntur, offerantur in lympha disgregatâ & ſoluta, vias aperiendo iſtam ſuppeditent anſam, qua Mercurii partes, dum in ſimul in indefinitum diſcontinuatæ, & in halitus quaſi ſolutæ, lymphæ & omnes partes alluenti & irriganti, ſanguini ideo commiſceantur, ſicque cum ſuo velocisſimo determinato æthere nihil de hinc inacceſſum relinquant, nec viarum terminis coërceantur, quin etiam exterius admotæ tranſeant. Quæque à poſteriori in veritate poſita, per ſalivationem ac eam quandoque per Diarrhæam & vomitum concomitantem dolorum Oſtocoporum remisſionem, Catharrorum exterminationem, Vulnerum Phagadenicorum & cacöethicorum conſolidationem, Luis Venereæ, Elephantiaſis, & ſcorbuti rebellis extirpationem aſſertum meum quemadmodum confirmant; ſic quoque nullum ambigendi amplius locum de Mercurii dulcis intima ſanguinis commiſtione relinqui totus confidam: Et denique Vir Clariſ. unde hoc, quod nutrix quando per aliquod dies Mercurialia ſumſerit, infans ejus, ejusmodi effectus ac qui in nutrice obſervantur, patiatur? evidentisſimo nonne indicio quaſdam mercurii partes in inteſtinis diſcontinuatas, ſubingreſſas vaſa lactea, perque ea delatas eſſe ad laticem purpureum? Sed nolo nunc pluribus Te à negotiis detinere gravioribus. Vale, Vir Clarisſime, & amare perge

Tibi ſemper addisſimum.

Joh. Gottlieb Bötticher,
U. Medicin. Doct.